10

SOMNIUM

65 21 1 8369. de. 75.

ACADEMICI CANTABRIGIENSIS.

Cambridge Academicians

——Ὄναρ ἐκ Διός ἐστιν.

HOM.

Dicere verum
Quid vetat?

HOR.

MDCCLXVIII.

BRITISH MUSEUM
29 FEB 56

SOMNIUM

ACADEMICI CANTABRIGIENSIS

CUM nuperrime in Collegium **** aliquot amici familiariter coiſſemus, de variis iſtis Partibus quæ Britanniam diu vexarunt, de effræni iſtâ licentiâ quæ ſub libertatis larvâ undique graſſatur, & præcipuè de Cancellario noſtro defuncto, quem cordatè & vehementer deflevimus, in commune ſinguli contulimus. Hiſce

ſermonibus, jam in noctem productis, mirè exagitatus, non citius cubitum diſceſſi (& quot ſomnianti phantaſticæ rerum ſurgunt imagines!) quam mihi viſus ſum in ipſo Senaculo ſiſti: ibi omnium ordinum Academicorum ſplendida et frequentiſſima convenerat corona. De inſolito hoc congreſſu dum neſcio quid meditarer, Alma Mater noſtra, dignitate bene compoſitâ, conſcendit roſtrum: ſolenne undique fuit ſilentium, et ſuſpenſa omnium expectatio, cum hujuſmodi verbis effata ſit Mater:

"Felices vos, O Cantabrigienſes, reputavimus, quibus in hac eleganti Muſarum ſede tanquam in portu hoſpitali, ſtudia pacatiora colere conceſſimus. At, proh inanes hominum ſpes et

acerbam

acerbam rerum neceſſitatem! Cancellarius veſter, Reipublicæ hujuſce literariæ grande decus & fulcimen, diem obiit ſupremum. Quem Senatorem! quem Civem! quem Patriæ Patrem lugent Britannici! Quid memorem beneficia iſta ab hoc illuſtriſſimo Duce in vos cumulatè collata, et quæ teſtantur animi magnitudinem pene divinam? Nihil certe antiquius duxit, nihil magis in votis habuit Vir Maximus, quam ut ſe fidum facilemque Patronum oſtenderet; et, quod caput eſt omnium, integrâ deceſſit famâ, incorruptæ mentis conſcientiâ fretus.

" Inſtat jam tempus, dilectiſſimi Cantabrigienſes, in quo apprime eſt cavendum, ne Academiæ celebritas in pejus prolabatur. Veſtrûm ergo

ergo ſit eam fortitudinem et conſtantiæ tenorem ſervare, ut Nemini Cancellarii munus decernatur, niſi ſit Vir BONUS. Parum eſt ut quiſquam, celſiſſimâ prognatus proſapiâ, ſuperbos titulos vel etiam regium favorem jactitet, niſi, iterandum eſt, niſi ſit Vir Bonus. Amandentur ergo procul, O procul ab hiſce ſedibus omnes illi, magni vel nominis Aulici, qui, pravis opinionibus ducti, Religionem veram et genuinam, et in hoc regno legibus ſancitam, ſubſannare et irridere haud aſpernantur! Quid porro de illis cenſendum eſt, qui perpotationibus et comeſſationibus nocturnis è profeſſo indulgent, qui aleis chartiſque pictis ſe totos dedunt, qui denique, omni pudore prorſus extincto, meretriculas ſuas in Theatris ipſis, vel in publicâ civium

luce,

luce, proponere geſtiunt, quaſi de ſtupri et adulterii criminibus palam gloriari honeſtum eſſet et decorum! Hoſcine tandem, Academici, dignos eſſe cenſebitis qui in hoc loco præſideant? Nemo certe, niſi mentis inops, in Cimmeriis tenebris lucem, vel in Charybdis æſtu tranquillitatem requirit. Verum enimvero non deſunt Optimates graviſſimi ornatiſſimique, qui ſuprema noſtra munia præcipuè merentur. Et procul dubio in primis celebrandus eſt Comes de H——E, Satrapa, et paternis virtutibus, quæ quidem maximæ fuerunt, nobilitatus, et—ſuis. Hic eſt, hic eſt ille, qui in gremio meo enutritus, liberalem iſtam doctrinam virtuteſque ſpectatas excoluit, quæ virum nobilem, quæ Academicum commendant, et, ut uno verbo

omnia complectar, quicquid in ſupremo Cantabrigiæ Magiſtratu efflagitare ſolemus, ſive vitæ probitatem, ſive patriæ amorem, ſive in vos benignitatem, in hoc colendo Comite hæc infunt omnia. Atque hìc non poſſum non omnia Tibi precari, Tibi, CAROLE, ſummi Seneſchalli frater, qui, incredibili ingenii acumine præditus, intimâque legum cognitione locupletatus, jura Academica fortiter vindicaſti, et quidem auſpicatò.—Sed ad vos revertar, Academici: vos igitur iterum atque iterum obteſtor, ne veſtris conſiliis ulla unquam inuratur infamia. Academiarum ſive originem ſive finem ſeriò ſpectemus, quid prius potiuſve providendum reſtat, quam ut ne quis PRÆSES cooptetur, qui non auctoritate ſolum, ſed etiam exemplo præſtat.

ſtat. Et ne vobis aut mihi deeſſe videar, libero ſpiritu dicam quod ſentio. Dicamne eſſe in veſtrorum numero, qui, beneficiorum præteritorum immemores, novos Mecænates aucupantur, et quibus nempe hoc ſolum eſt propoſitum, ut inter Decanorum vel Præbendariorum ſubſellia otioſè recumbant? De hujuſmodi honoribus, de ſacerdotiis opimis, immo de infulis epiſcopalibus acritèr contendant alii: ſed honorati ſemper et honorandi ſunt ruſtici iſti egenique Sacerdotes, qui in umbratili vitâ deliteſcunt, ſalvâ integritate, ſalvo foro conſcientiæ. Nec reticere poſſum, quantopere me pudet degenerum iſtorum, ſane infimæ ſortis, Academicorum, qui, cum de ſummo ***** munere concertatum eſſet, ſuffragia ſua aperte

apertè adeo vendiderunt, ac qui merces in publicis nundinis vendunt. Quibus e contra præconiis commemorandi ſunt iſti, qui, eâdem de cauſâ ſtrenuè ſolliciti, animoſam et honeſtam indignationem oſtenderunt?—Quicquid vero jam ſtatuet Academia, veſtrûm erit, florentiſſimi filii, eâ prudentiâ, eâ pietate vos temperare, quâ homines liberaliter educatos decet."

Oratione jam finitâ, quoſdam Academicos vidi præ invidiâ notabiliter intumeſcentes, et veluti oeſtro percitos: alios vidi de ſalute communi deſperantes, veri tamen rectique conſcios: at plauſus et voce et manû toties repetiti, me e ſomno excitârunt.

3° *Calendas Decembris*, 1768.

BRITISH MUSEUM FEB